

Πλήν παντὶ τρόπῳ, εἴτε προφάσει, εἴτε ἀληθείᾳ χριστὸς καταγγέλλε-
ται. Καὶ ἐν ἴσῳ χαίρω, ἀλλὰ καὶ χαρήσομαι. Attamen-
quovis modo, sive per occasionem, sive per veritatem
Christus annunciatur: Et in hoc gaudeo, quin etiam
gaudebo. Paullus ad Philipp. i. §. 18.



Hæc verba B. Apostolo nata sunt in carcere &
vinculis Neronianis, in quæ iterum post pri-
mam suam Apologiam conjectus fuerat, quo-
rum occasione fama de JESU Nazareno cru-
cifixo ἐν Ἐφασκεν ὁ Παῦλος ζῆν, (α) pervagata
fuerat totum prætorium aulamq; Neronis
atq; inde in universam Urbem, & ex Urbe in Orbem sparsa.
Præterea quoq; pleriq; fratres Christiani Romæ commoran-
tes, quos adversarii vinculis Apostoli ab Evangelii de Christo
confessione deterritum iri speraverant, his ipsis animosiores
reddebantur & magis intrepidi ad longè latèq; spargendum
nomen Christi: Quippe confirmabat eos invicta PAULLI con-
stantia, qui non dubitaret adire carceres, immò mortem op-
petere & sanguinem largiùs profundere pro hæc de crucifixo
& ex mortuis resuscitato JESU doctrinâ. Disparat itaq; præ-
dicatores Evangelii, in duas classes, quorum alij, præprimis ve-
rò Judæi semper-malevoli διὰ φθόνον καὶ ἔριν sive ἐξ ἐριθείας
CHRISTUM prædicarent, dum nempe sectæ (β) seu hæreseως
nota doctrinam Evangelii incrustabant, dictitantes, sermo-
nem quidem Evangelii ab Apostolis, & sic etiam à Paulo, in
orbem terrarum divulgatum, sed tamen ubiq; eidem contra-
dictum fuisse: Hi licèt carperent doctrinam Christi atq; blas-
phemarent, eò ipsò tamen de eâ loquebantur, & præter vo-
tum suum atq; institutum famam ei conciliabant celebri-
orem, ansam subministrantes aliis in eam inquirendi, num ex
D. o esset nec ne, num vera an secus: quæ res ad multorum con-
ver-

(α) Act. XXV, 19: (β) cap. XXIV, 14: XXIX, 22: